12 fés VIII.22.

ADVERTENTIA
ET
RECONVENTIO
ADVERSUS
M. STEJARTII
Impertinens & Laciniam Sabbatinalem 20. *Junii* 1699.

PArturiunt MONTES, naſcetur ridiculus mus. Iterum parturientis inſtar vociferatur Stejartius, & mure minus aliquid parit. Mirum profectò, virum tam in Curiis notum, tam ingentes ſummas Bruxellis & alibi in Advocatos & Procuratores expendiſſe, nec plus in juris praxi profeciſſe: ſunt qui dimidio pretii plus profecerunt.

Teſtimonium duorum Sacerdotum dominatui ſuo adverſum palam extra judicium, falſitatis arguit, condemnat, infamat. In uno vitio, quot vitia! Contra juris ordinem in cauſa propriâ, & extra tribunal legitimum ſimul agit partes & accuſatoris & teſtis & judicis & executoris ſententiæ: ab infimis omnium Juriſperitorum tyronibus condemnandus.

Contendit mendacium judiciale eſſe teſtimonium quo 30. Maii duo declararunt aſſignatam eſſe 1. Junii, ut Eximius D. Damen præſideat diſputationibus publicis tunc habendis, idque tanquam membrum Strictæ Facultatis Theologicæ: En totum negotium.

1. Ani-

1. Animum advertere dignetur Steyartius linguæ vulgari, juxta quam ſine mendacio ſimpliciter aſſeritur pluribus caſibus, quod vel ab uno ſolo auditum eſt. V. g. intrat aliquis majus Collegium locuturus D. Præſidi: reſpondet Portarius, non eſt D. Præſes in Collegio: exit & mox obvianti in platea dicit: putabam loqui Steyartio, ſed non eſt in Collegio. Ita omnes loquuntur quotidie, nec addendum pro cautelâ putant, intellexi ex Portario non eſſe eum in Collegio.

Similiter intellexit aliquis ex vicino Majoris Collegii, Steyartium qui foris fuerat, rediiſſe: refert aliis ſimpliciter: Steyartius rediit.

Alius à famulo Bedelli vocatus eſt ad congregationem Facultatis horâ octavâ: mox ſocio obvianti dicit; eſt hodie horâ octavâ congregatio Facultatis: nec addendum putat, ſe id audiviſſe ex famulo Bedelli.

Alius in cubiculo audit viſo nemine à mulierculâ proclamari conchas venales: deſcendens ait domeſticis: Sunt in plateâ conchæ venales.

Alius, quod propiùs accedit caſum vexatum, convenit Fiſcum Baccalaureorum Theologiæ aſſignaturus primam Julii pro Diſputatione: reſpondet Fiſcus, prima Julii aſſignata eſt ab alio, cui præſidebit Steyartius: abit & obvianti ſocio ſine mendacio ſimpliciter refert: Prima Julii aſſignata eſt, quâ præſidebit Steyartius, nec addendum putat, ſe id à Fiſco audiviſſe. Idem ſexcentis aliis caſibus oſtendi poteſt. Et hanc loquendi formam Procuratores & juris practici ſæpè ſequuntur in declarationibus, in quibus nec additur ratio ſcientiæ, nec juramentum pro confirmatione offertur, nec exigitur.

2. Advertendum eſt teſtes vexatos nec juramentum pro ſua aſſertione obtuliſſe, nec unquam voluiſſe præſtare, nec à jure exigi in ſimili materia, præſertim ubi de

de poſſeſſionis turbatione dumtaxat agitur,ad quam probandum, minimum ſufficit, uti oſtendit Rebuffus de materiis poſſeſſoriis. In hujuſmodi declarationibus ſolet exigi à teſtibus ratio ſcientiæ, quæ juxta Juriſtas eſt anima teſtimonii, quia inde totum ſuum robur accipit. teſtes autem prædicti rationem ſcientiæ munitam habent plus quam quindecim omni exceptione majorum teſtimonio & ſubſignatione, teſtantium Lovanii fuiſſe rumorem publicum, quod Doctor Damen primâ Junii præſideret, & ſe ita ex variis conjecturis credidiſſe, etſi theſibus imprimeretur nomen Præſidis Steyartii: imo & ipſa 29. Maii Lovanii ſparſum fuit & à pluribus ſinceré creditum,quod Doctor Damen primâ Junii Diſputationibus Theologicis præſideret ; atque ita 30. Maii teſtes illi per litteras vel aliter facillimè id potuere intellexiſſe à pluribus ſincere credidiſſe.

3. Advertendum, certiſſimum eſſe minores rationes ſufficere ad aſſerendum aliquid ſimpliciter ſine juramento, quam ad id jurandum, ſicut in ſupradictis caſibus v.g. quibus dicitur, Steyartius non eſt in Collegio, redivit, eſt hodie congregatio Facultatis &c. nemo prudens ob authoritatem unius id volet jurare, quamquam oſtenſum eſt ſimpliciter ſine mendacio aſſeri. Minora etiam motiva requiruntur ad aſſerendum futurum aliquid quam præteritum, circa quod major certitudo haberi poteſt: teſtimonium autem prædictum continebat præcipuè materiam futuram. Nempe 30. Maii declarat primam Junii eſſe aſſignatam, nimirum ſicut diſputaturi apud Fiſcum diem ſuum aſſignant, qua præſeſſurus eſſet Diſputationibus Theologicis Doctor Damen.

4. Advertendum quod Alexander III. *cap. Cum tu de teſtibus* benignè velit interpretanda dicta teſtium: *Nos*, inquit, *dicta teſtium benignè interpretari volentes ne perjurii*

 reatu

reatu notentur &c. Non enim, addit in hoc cap. celeberrimus Canoniſta Nicolaus Rodriguez Fermoſinus', *dicta teſtium calomnianda ſunt ſed juvanda. Ex doctrina Bartholi in Rubrica de rerum diviſione col. fin. & in l. de quibus ff. de Legibus, cum aliis quos in hoc articulo refert Morla in emporio tit.* 11. *n.* 65.

Nunc bonorum omnium judicio relinquitur, an ſufficiens ratio Steyartio fuerit tam immaniter clamandi, jurandi, ſcribilandi contra teſtimonium prædictum, præſertim cum veroſimile ſit à teſtibus eſſe declaratum ſe id â fide dignis intellexiſſe & ſincerè credere: procuratorem autem vel Practicum id ſtylo ſuo vulgari expreſſiſſe. Judicetur, an potiùs comite judicio deſtitutum non fuerit juramentum, quo ſolemniter in Scholis Theologicis juravit Stejartius, nunquam ſe cogitaſſe, quod ſineret primâ Junii Doctorem Damen ſuo loco præſidere. Cui bono tale juramentum, cum quo optimè conſiſtere poteſt ſinceritas teſtimonii præfati? Si teſtes ſint rei falſitatis, probet id in judicio legitimè Stejartius, potiùs, quam impotenti clamore extra tribunal pacem & aerem verberet: quin aperiri potiùs, quàm claudi curet viam juſtitiæ, ſi ſe ſatis fundatum exiſtimat, nec contra omnem juſtitiam in ſua cathedra & cauſa ſimul agat partes accuſatoris & teſtis & judicis & executoris ſententiæ.

Deinde ut teſtes prædicti accuſari poſſent, nequaquam tamen eos accuſare liceret Steyartio, qui etiamnum eſt in reatu publico; ſiquidem non ſolum theſes ejus de vectigalibus fuêre damnatæ, ſed etiam mandatum fuit, ut coram conſilio Brabantiæ aut Procuratore Generali perſonaliter reſponderet, quod practici vocant, reſpondere PEDE LIGATO. Ergo ab hoc reatu ſe purget, priuſquam alios accuſet.

Purget ſe prius à teſtimonio, quod de Eruditiſſimo Do-

Domino Cornelio Verſchuren piæ memoriæ S.Theologiæ Licent. dedit Duciſſæ de Holſteyn juxta declarationem ejus infraſcriptam. *Nous Iſabelle de Merode par la grace de Dieu Ducheſſe de Sleſwick, Holſteyn, Marquiſe de Weſterloo &c. declarons eſtre veritable, qu'à l'occaſion de la vacance d'une prebende à Gele, qui eſtoit de noſtre collation, Monſieur le Docteur Steyaert Vicaire de Boiſleducque nous eſt venu voir & dire en ſubſtance, que le Sr. Corn. Verſchuren Licentié en Theologie eſtoit un homme pieux, & que pour eſtre ſimple Chanoine il avoit bien voulu recommander, mais point pour eſtre Doyen: puis qu'il ne voudroit point l'admettre à entendre les confeſſions, parce qu'il ſeroit un grand Janſeniſte ou Rigouriſte, & d'une opinion qui ſeroit reprouvée de l'Egliſe, nous requerant neanmoins, qu'avant de conferer audit Verſchuren ladite prebende de Gele, nous avions voulu l'envoyer à ſon examination, pour prevenir les difficultez, qu'il auroit eu en aprés contre le meſme Verſchuren, en cas s'il auroit eſté eleu Doyen. En foy de quoy nous avons ſigné cette, & y apposé le cachet de nos armes. A Bruxelles le 11. de Mars 1693.*

J. M. Duchesse de Holsteyn &c.

Si erat vir pius & ab ipſo Steyartio ad ſimplicem Canonicatum commendandus, qui eſſe poterat magnus Janſeniſta aut Rigoriſta & doctrinæ ab Eccleſia reprobatæ? Quam defecerint Steyartium hujus teſtimonii probationes, novit ipſe ex duabus in Conſilio Brabantiæ valde ſibi pretioſis litibus, in quibus præfato D. Verſchuren omnia, quæ petiit, cedere coactus eſt.

Purget ſe priùs à teſtimonio de incapacitate D.Sleuwens & de convivali ſententia exautorationis, qua eum exuit Paſtoratu oppidi Eyndovienſis, quem poſt peractum convivium, poſt infuſos illi plures vini ſcyphos (ſanitates vo-

cant

cant) turbatum & invitum & inducias uſque mane petentem compulit ad examen in loco convivii & in conſortio convivarum & adverſariorum : ſic examinatum declaravit inidoneum & è Paſtoratu dejecit : ſed quam injuſtè, declarat, ſententia, cujus copia ſequitur : *In de ſaeck voor ons Officiael van Antwerpen, als Rechter door den Apoſtolÿcken Stoel gedelegeert hangende ingedecideert tuſſchen den Eerw. Heer Paul Sleeuwens aenlegger ten eender ſeyde, ende den Hoogw. ende Doorluchtigen Heer M. Steyaert plychtigh ende den Eerw. Laurentius van Mierloo bygevoegde van de andere ſeyde, geſien hebbende de Acten &c. ende die rypelÿck geexamineert door veel Rechtgeleerden raedt ende eenſaemige toeſtemminge, ſoo ſeggen wy ende declareren , dat den Heer plichtigen door de Acte van den* 12. *Novembris Anni* 1691. Inhibuiſſe Domino Actori, ne ſe ullo modo immiſceret functionibus Paſtoralibus Eccleſiæ Parochialis Eyndovienſis, & perperam eundem Actorem amoviſſe ab illimitatâ deſervitura Curæ præfatæ Eccleſiæ Parochialis, nec non dictum reum comdemnandum eſſe , prout condemnamus, ut inhibitionem tollat & D. Actori præfatæ Curæ liberum exercitium relinquat, ac ulterius in damna & intereſſe , quæ idem D. Actor paſſus eſt & paſſurus ratione dictæ inhibitionis & amotionis à præfata deſervitura, uti etiam in expenſas hujus litis , taxa nobis reſervatâ. Lecta , lata, & in ſcriptis promulgata per R. Adm. ac Ampliſſ. D. Officialem Antverpienſem die 17. Novembris 1698.

Purget ſe prius Steyartius ab atteſtatione quâ Doctori Huygens aliiſque adhærentibus clanculo adſcripſit 42. articulos, ex quibus vix duos ab ullo eorum fuiſſe traditos potuit oſtendere, dum ad probandum fuit compulſus , putavitque ſe abſolutum dicendo epiſtola 4. *Nunc quoque eatenus acquieſcimus ut quod dicunt ſe non ſentire ex articulis accuſatis , planè credamus.* Bre-

Brevitatis cauſa omitto vel differo teſtimonium ſive judicium quod nuper Regi tradidit de capacitate Eximiorum quorumdam requiſitâ ad lectionem Catechiſticam vacantem.

Omitto pariter exhibitam nuper pro majori Collegio contra quatuor Burſarios Collegii Pontificii atteſtationem declarantem, quatuor illis Burſariis ex bonis Scendelenſibus numquam plus ſolutum fuiſſe quam annuè 200. florenos, de qua plurima dici poſſent. Omitto etiam recentiſſimum teſtimonium duorum Majoris Collegii Procuratorum in eadem cauſa productum, quo teſtantur Burſarios Majoris Collegii extra ſpecialem caritatem annonæ ali 70. florenis & quinque ſtuferis annuè, ſic ut ex iis inſuper ſex vel ſeptem circiter florenos per bonos computus recipiant; ac proinde tribus aſſibus cum medio circiter per dies ſingulos ali. Nil modò de hoc teſtimonio. Sed ſi illud verum eſt, mirum ſanè cur Steyartius nuper inſtiterit ut per Univerſitatem pretium menſæ Commenſalium augeretur: inſuper ſi verum ſit illud teſtimonium, profecto è re boni publici & totius Academiæ foret, ut è Majori Collegio prodiret brevis aliquis tractatus de Re OEconomica.

Ergò Steyartius priùs trabem ex oculo ſuo, quàm feſtucam ex oculo fratris, conetur ejicere: